

V c  
5174





A. 2

V

Im

C





A. 41, 4.

III.

L. D. B. V.

V c  
5174

MEMORANDA LEONIS SAXONICI

# VICTORIA,

*Contra*

Immanissimum atq; in perniciem Christi-  
anae gentis conjuratissimum hostem,

*Levi penicillo delineata*

à

CHRISTOPHORO HENRICO de STAUPIZ,  
Eqvite Lusato.

A. O. R. M. DC. LXXXIV.

---

LIPSIÆ

Typis Viduæ JOHANNIS BAUERL.



ILLUSTRISSIMO HEROI,

DN. CAROLO, Lib. Baroni à Friesen/

Dn. in Rōthau/ Cotta und Geschwitz/

Serenissimo atq; Potentissimo Electori Saxonico à consiliis  
intimis, Proto Synedrii Dresdensis & Proto Dicasterii Aulici  
Lipsiensis Præsidi, Domino suo gratiosissimo,

*uti &*

GENEROSISSIMO atq; NOBILISSIMO

DN. JOH. ERNESTO à STAUPIZ,

Domino in Burkau, Patri suo Honoratissimo.



Hoc mentis ac manus suæ pignus, ad honoris eorum atq;  
sempiterni Nominis memoriæ aram deponit.

Devotissimus cultor atq; subjectissimus  
servulus,

*uti &*

*obsequentissimus Filius*

CHRISTOPHORUS HENR. de STAUPIZ.





I. N. J.



**S**ic fluunt res Au-  
striacæ gentis, quæ  
tot per annos lenti duelli  
veluti pertinacia collisæ,  
semper in armis, semper  
inquietæ fuerunt. Sic fa-  
to agitantur consilia semper Augusti, ut Au-  
gustissimos Imperii sui Terminos, non nisi  
maxima strage suorum amplificare, contraq;  
grassantium excursus tueri queat. O fata  
dura! O fallaces spes & rerum vicissitudi-  
nes! O insanibile Vulnus & periculum in  
Reipub. damnatum! Motibus istis  
circa Rhenum belli satis cruentis, vix sum-  
mæ manus impositæ erant, quodq; non ausi  
fueramus sperare in annis, hoc puncto tem-  
poris

en/

filiis  
ci

Z,

q;

AUPIZ.





poris evenerat, ut Ambo Reges, quos unquam Sol aspexit; potentissimi, strictissimo Religionis nexu conjuncti, unanimo coalescerent consilio, pactionibus bello imponendi finem, cum Europæ ob communem armorum requiem exultanti, aliud portentum immanius, quovis monstro magis fugiendum contingeret; bellum intelligo cum Ottomannis immortale, omniqve duraturum seculo. Hoc est illud, quod sola contrariæ partis interneccione finiri potest. Et utinam meliora Patriæ ominari possem! est veluti incendium, quod ruina restringitur, postquam nihil amplius super est, quod igne absumatur. Magno tamen miraculo factum, & præcipuè divino favori tribuendum, quod steterimus contra tot Regum Regnorumq; Dominatorem, qui subjugandi urbes, Provincias, Regiones, Insulas, electissimum quoqve Virorum gregem in æternam servitutem delegandi licentia maxime luxuriabatur. Homo magis ad vastandum quam vincendum natus, pervastata

stata



stat? ferro Hungariâ penè totâ , Provinciis  
everfis, locis optimis direptis, pergebat Au-  
striacum quoque agrum, quem ob soli bo-  
nitatem benignitatemque, jure merito feli-  
cem prædico, rapinis exhaurire, Urbium luce,  
Arceque omnium gentium Vienna obsi-  
dione cincta, quæ ita in angustias redacta,  
ut nisi quam maturè suppetiæ advenissent,  
quasi à scopulis fluctuum assulta effracta  
atque diruta fuisset. At favente Divino  
Numine, miraque arte vincendi Herculis  
illius Saxonici, semper Patris Patriæ, die  
primo Septembris, anni proximè elapsi effe-  
ctum est, ut Hostis ille immanis suisque vi-  
ribus frustra fretus profligatus, magna exer-  
citus ejus pars cæsa, obsidio victoriâ glorio-  
sè finita fuerit. Hujus Egregii Principis  
supra captum humanum exurgens Virtus,  
ac nullo unquam seculo emoritura fama, li-  
voris quidem dente, sed frigido conatu, à qui-  
busdam adversariorum petita, ista, inquam,  
Virtutis indoles, quam in cælum usq; & nati-  
natorum, & qui nascentur ab illis efferre nun-  
quam





quam desinent, in praesens mihi dicendi ma-  
teriam praebabit. Priusquam tamen hoc  
periculosa plenum opus alicuius, praefabor  
illud, quod apud Romanorum vete-  
res, divinum cultum aggredientes voce  
Praeconis praemittebatur, ut favere linguis  
haud dedignemini.

Si unquam causa legitima fuit ulla  
arma capiendi, si unquam praeclearo certa-  
mine honesta mors immortalitate donavit  
victos, si parata unquam palma fuit victo-  
ribus! profecto in hanc facram haec omnia  
militiam quadrant, quae ad propagandum  
decus, & dignitatem Christiani nominis  
suscipiebatur. At quam legitimum hoc  
bellum, tam formidolosum quoque. Atrox  
enim effrenis & barbaria natio, cruciatus  
genera, quaecumque excogitari poterant,  
omnium crudelissima, in Christiani nomi-  
nis Professores exercere solebat: quare ex  
incipiti belli fortuna, nulla victis speranda  
erat salus. Praevalebat porro Hostis copia.  
usu atque praestantia rerum, cuius immen-  
sa



ſæ ditiones iisdem penè metis ac ſpatiis, quibus Solis curſus, terminantur, quibus cum latifundiis vix ullâ ex parte exiguus ille Terræ limbus, quem inſidemus, conferendus. Funestum iſtud caput, tanto impetu nos invadebat, ut obſistere omnium fermè reformidaret, audacia: naturâ quippe ita comparati ſumus, ut ſemper ex paveſcamus majora, ruinamq; nobis minantia. His & aliis quam plurimis ad mentis aciem revocatis, tanquam juſtiſſimis cauſis adduci celiſſimi Nominis Princeps potuiſſet, quo minus auxiliares mitteret Cæſari copias, dùm quod belli hujus genus atrox, quippe non cum hominibus, ſed cum beſtiis gerendum foret, dum quòd vix digni Romanenſes turbarum Autores tanto auxilio videbantur. Quippe qui quieti cumq; Exteris ſumma contentione amicitiam colere potuiſſent, inteſtiniſ motibus originem dederunt, hocq; modo ſibimetipſis proprio Marte bellum conſci-  
verunt. Exorti nimirum iterum Gigantum fraterculi ſunt, qui veſania mentis capti  
DE-



DEum informare, imo modum limitandi  
Ecclesiae suae Terminos praescribere conati  
sunt, cum tamen ille fiderum Rector ad fi-  
nem usque mundi Ecclesiam suam susten-  
tare, sine talium homuncionum subsidiis  
consiliisve promiserit. Quid igitur insolentia  
tam effreni, persecutionibus impiis, contra  
veros divini Numinis cultores in campum  
Martium descendere magni praetii sibi pu-  
tabant? nesciebant scilicet bene modera-  
teque ferre fortunam suam. Proprium Fu-  
rioforum est, in sua viscera saevire. Conce-  
dite mihi quaeso, P. A. ut non in absimili re,  
haud absone dicto flagitiosissimi, Caligulae  
utar, arena sine calce. Quis igitur adeo re-  
rum omnium ignarus, qui ex prodigiosis istis  
indiciis, imminentem Reipub. interitum,  
ruinamque promanantem non videat? o  
pectora coeca quae pro communi omnium  
incolumitate excubias agere negligunt! Sed  
praetereant haec cum caeteris erroribus. Ego  
non amplius ejusmodi inhærebo nugis, si  
unicum addidero, Res Imperii Romani ali-  
quan-



quandiu stetit fatis, quæ nunc non gradu,  
sed præcipiti cursu, ad occasum & exitii  
metam properant. Redeo ad propositum  
meum. Elector noster Serenissimus rugitu  
hujus Leonis minimè perterritus, cum ma-  
gnum periculum in mora, maturandumq;  
proinde auxilium esse intelligeret, contra-  
ctis copiis suis, numeroque earum ante  
Dresdam inito, fausto pede die primo Au-  
gusti viam per Bohemiam tentabat, eademq;  
felicitate Pontem Danubio flumini imposi-  
tum trajiciebat. Hic se paulatim oculis spe-  
ctacula dictu horribilia offerebant, in quæ  
fera illa bestia, ex omni scelerum colluvie  
concreta, aculeos sævissimæ crudelitatis e-  
miserat. Quot obsecro Ædificia, mira quon-  
dàm pulchritudine superbientia, flammis di-  
ruta soloque æqvata, agri frugibus exube-  
rantes pervastati, cadavera cruenta, & se-  
miustulata, luculentissima barbariei Thraci-  
cæ Testimonia, cuncta denique terrore lu-  
ctuq; innocentium fœdata! Ejusmodi ne-  
fandarum turpiumq; (sicuti mihi oculato testi-

B

fa-



fatis superq; constat ) imagnium comitatu,  
montibus quam plurimis, viis incultis atq;  
sylvestribus, rupibusq; præruptis superatis,  
ad hostilium castrorum cacumina demùm  
perventum est. Hostis teterrimus, sub mon-  
tis radicibus, locis oportunissimis occupatis,  
cervicibus nostris cruces atq; tormenta mi-  
nabatur.. At nos immoti stabamus, mini-  
meq; territi strepitu Barbarorum inanibusq;  
ampullis sesquipedalium verborum quibus  
inflati accedebant. Noveramus scilicet na-  
turam aquæ torrentis, magno fremitu atq;  
sonore labentis, impunè vado transire, dum  
maxime præcipitat. Deerat ( quod etiam  
rei exitus affirmavit ) immani Colosso Basis,  
atq; ædificio fundamentum. Fallere nec  
poma ferre istæ arbòres solent, quæ folio-  
rum ramorumq; luxuriâ nimis exuberant.  
Non fuit Ottomannis res cum imbellibus In-  
dis, qui se laniorum cultris, more misera-  
rum pecudum jugulandos sponte objiciant,  
sed fuit cum Viris certamen, fuit cum in-  
geniis civibus, qui pro Patria mori, felicissi-  
mum



mum angurium sibi putant. Vasa nos salva  
retulimus & uti Ennius inquit:

*Vicimus o socii & magnam pugnavimus pugnam,*

O Dei immortalis bonitatem! tantamne  
unius hominis incredibilis atq; divina virtus  
tam brevi tempore lucem afferre Reipub: po-  
tuit! ut nos, qui modo ante Portas stare Han-  
nibalem clamabamus, vix nunc ullum intra  
Imperii terminos reperiri audiamus: Oppidū  
(quod post Solymani tempora per centum  
& quinquaginta annos infractum steterat)  
munitissimum aggeribus turribusq; spe opi-  
mæ largitionis oppugnare conabatur. Sed  
esca elapsa est, solum hamum retinuit. Præ-  
ibat agminibus eqvo spadiceo vectus Prin-  
ceps, Heros egregius, cui proximè adsta-  
bat Vir omni laude militaris disciplinæ cla-  
rus, Flemmingius, qui suos ad pugnam  
fortiter capeffendam, his adhortabatur ver-  
bis: Me spectate. O Divina vox! o fa-  
cinus omni laude dignum! quis tam ve-



cordis atq; ad omnia bona hebetis fuisset  
animi, qvi pro charissimo Patriæ pignore, vi-  
tam ac sangvinem omnem alacri spiritu pro-  
fundere haud inflammeretur? & qvia ex in-  
columitate superiorum publica falus, in in-  
fimos quoq; & privatos redundare solet,  
non diutius continere me possum, qvin Pa-  
triæ de Munifico isto Virtutis deposito ad-  
gratuler, cui communi falute nihil anti-  
qvius, cujus sub imperio tam beatam de-  
gimus vitam. Videbat ille egregius Saxo-  
num Hercules, ille Heros ad omnem laudis  
cumulumâ natura genitus, ratione forma-  
tus, studio ac voluntate accensus, videbat,  
inqvam, ille heros, memorabile & magnum  
facinus nunquam sine periculo fieri. Quare  
nec armis nec plumbeis istis mucronibus  
parcebat, tantummodo ut sibi falvis auspi-  
ciis, communis omnium constaret falus,  
sicq; audendo immortalis factus est. Nem-  
pe non captat aquila muscas, nec unquam  
fando auditum est, bubonem obscœnum pe-  
riisse Pæanis arcu. Maeste Magne Princeps!  
Maeste



Maeste egregiè tanta virtute , fortiterq; tela  
ista preme, quæ ad repulsandam servitutem,  
ad vitæ & incolumitatis tutelam, contra vim  
atq; immoderatam dominationem aliquid  
facere possunt, facq; ut consilio rem lapsam  
restituas.

Plura non addam, sed honore silentii sup-  
primam, quæ voce ac stylo resignanda forent,  
ad exemplum ingeniosi Pictoris, qui velo in  
umbrat , quod penicillo exprimi posse de-  
sperat. Vobis interim, P. A. gratias ago  
quæquam possum maximas , partim quod di-  
gnati fueritis interesse nostris sacris, partim  
quod cum benignitate & attentione à Vo-  
bis sim auditus. Minimè composito ani-  
mo Me ad scribendum fuisse eo tempo-  
re fateor, quo opusculum hoc meditabar.  
Musæ quippe occupatæ recessum & solitu-  
dinem amant, quæ mihi ob nundinarum  
turbas haud obtingere poterat : deinde in-  
vita Minerva , militaribus istis aliquandu  
implicito curis, omne propemodùm lite-  
rarum exciderat commercium, atq; delecta



copia rerum. Quare ex his oriebatur metus, qui multum efficere solet ingenio, ne primum istud tentatum parum prosperè eveniret sed si communi famæ credendum, extemerritate laudem inveni. Vestra, P. A. erga me benevolentia factum est, ut opus isthoc mihi tentatum, qui fragilem meum Phaselum immenso commiseram æquori, prosperum atq; beatum succederet; stimulum enim ingenio addidistis, quo minus studia mea, langvescente industria tardarem, multo magis ut in rebus his arduis, atq; magnopere expedentis prius omnia tentarem, atq; experirer, quàm ob assequendi desperationem à recta voluntate desererem, quum ad summa nitenti ( teste Tullio ) pulchrum sit, in secundis tertiisque consistere. Nam etsi maximis tantum operibus admiratio debetur; tamen inferiora non despiciamus, & iusta laude non carent, quæ sunt magnis propinqua.

Non si priores Mæonius tenet  
Sedes Homerus, Pindaricæ latent  
Cæque & Alcei minaces  
Stesichoriqu; graves camœnæ.  
Est aliquid prodire tenus, si non datur ultra.

DIXI.



\* \* \*

**N**obilis ingenio quod sis, non stemmate  
tantum,

*STAUPIZI*, hoc praesens pagina scri-  
pta docet :

*Maeste tuâ virtute! tuis DEUS annuat orsis,  
Ut Patri & Patria gaudia mille feras!*

Conatibus Nobiliss. D. à Staupiz ap-  
plaudit & prosperos successus  
animitus precatur,

**AUGUSTUS PFEIFFER. D.**





AK No 5784

Coenobium Nobiliss. D. S. Augustini  
placit. de program. necessis  
an. 1784

AUGUSTINUS PETER D.



1784

nc





ULB Halle  
004 806 45X

3



nc









*h. 41, 4.*

V c  
5174

MEMORA

KONICI

VIO

IA,

Immanissim  
ana gen

em Christi-  
ostem,

CHRISTOP

STAUPIZ,

A.

Typ

ERI.

